



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque
Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

xix. Quid tempore cessationis circa officia diuina, & Sacramenta licitum
sit. Et de p[o]enis iniustè cessantium, & dantium caussam iust[a]e
cessationis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13883

Antonius Cucchius lib. 4. Institut. Iuris Canon. tit. 13. Ioa. Andr. & DD. communiter, in c. si canonici, & c. Quamuis, de offic. Ordin. lib. 6.

Prima est, vt imponens Cessationem habeat potestatem a iure, vel consuetudine, vt eam ferre possit in illum locum.

Secunda est, vt quando Cessatio est indicenda, vocentur omnes de Capitulo, vel de Conuentu, etiamsi abentes sint. Ratio est: quia eodem modo inducenda est Cessatio, quo electio est faciendā: Cum igitur ad electionem faciendam omnes, qui interesse possunt, & debent, etiam abentes vocandi sint, aliter nulla esset electio sic etiam ad imponendam Cessationem, vt de electione habetur in cap. Coram dilecto, & c. Quia propter, & ibi glossa in verbo, electio, 1. num. 6. q. 5. & de Cessatione, in c. Quamuis, de offic. Ordin. lib. 6.

Tertia est, vt de causa cessandi diligenter, tractetur, priusquam cessetur.

Quarta est, vt fiat deliberatio, & hoc per maiorem partem Capituli, seu Conuentus: siquidem, in d. c. Quamuis, cessatio equi paratur electioni, certum autem est, electionem faciendam esse cum maiori parte; Quo fit, vt si ex Capitulo, vel Conuentu vna pars concordet in Cessationem, & alia contradicat, ita, vt sit indifferens, indici non possit Cessatio; vnde, accedere debent duę partes necessariorum, nec satis est, vt sit maior pars, sed debet esse sanior, sicut in electione, cap. Quia propter, & ibi glossa in verbo, Sanior, & c. Ecclesia vestra, de elect. Sylue. verbo, Electio, 1. num. 11. q. 9. Reliqua etiam ad electionem necessaria hic applicanda sunt.

Quinta est, vt offensa, & causa, propter quam cessant, manifesta, & notoria sit: vnde non satis est quod probabilibus rationibus agatur contra illum, contra quem volumus cessari, sed debet esse manifesta, & notoria causa, ob quam imponitur, arg. l. Negantes, C. de action. & oblig. Nec contrarium consuetudine introduci potest quia esset Ecclesiis onerosum, argum. cap. Consuetudines, & c. cum venerabilis, de Consuetud. Angelica, verbo, Cessatio, numero tertio, Sylue. verbo, eod. q. 1. & Henriquez lib. 13. c. 53. secundo.

Sexta est, Quod causa sit rationabilis, arg. c. irrefragabilis, ceterum, de offic. Ordin.

Septima est, Quod ante cessationem instrumento publico, vel patentibus literis authentico sigillo munitis causa cessationis manifestetur.

Octaua est, Quod illud instrumentum, vel literę tradantur ei, contra quem cessatur.

Nona est, vt ille moneatur, & requiratur an velit ante cessationem emendare offensam, quod si noluerit, poterunt Cessationem indicare.

Decima est, vt intra mensem a die cessationis, tam cessationem imponens, quam is contra quem cessatur, per se vel per procuratores sufficienter instructos, iter arripiant ad Sedem Apostolicam, & continuatis diebus quam cito commode poterunt se Apostolicę Sedi representent, vt causa cognita Summus Pontifex de remedio prouideat, ne Ecclesia diu in tali afflictione permaneat, vt ex cap. Quamuis, & DD. ibi de offic. Ordin. lib. 6. & Summistis colligitur.

16. Quæres tamen primo, An seruanda sit cessatio a Diuinis, vbi non seruantur prædictę conditiones? *Respondeo* quod non; & similiter si pars quę cessationem posuit, eam non seruat, nec alij eam seruare tenentur, Angelica, verbo, Cessatio, numero tertio, in fine, & Sylue. verbo, Cessatio, quæst. prima, in fine, qui pro hac sententia referunt Io. Monach. & Goffred. in c. si Canonici, de offic. Ord. lib. 6. & est communis sententia.

17. Quæres secundo, An econtrario seruanda sit cessatio a Diuinis, quando is propter quem cessatur, eam non seruat? *Respondeo* quod sic; Quia text. in cap. Quamuis, de offic. Ordin. libro 6. solum ait seruandam non esse, quando is, qui eam tulit, prædictas conditiones tam in cessando, quā in veniendo seu mittendo ad Sedem Apostolicam non seruat, ergo a contrario sensu, si is, contra quem cessatur, iter non arripiat, nihilominus seruari debet cessatio; Quod argu-

mentum a contrario sensu validum est, quando contrarium in iure non exprimitur. Ratio esse potest: quia alias pars per suam contumaciam irritaret actum Iuridicum Ecclesię, & partis læsę & commodum ex peccato suo reportaret; & id expresse docent Sylue. verbo, Cessatio, q. 2. & Sotus, 4. d. 2. q. 3. art. 2. post Conclusionem tertiam, §. Hinc autem quidam.

19. Quæres tertio, An si elapso mense ad arripiendum iter ad Curiam Romanam, partes adinuicem conueniant, poterit cessatio tolli ab eo qui illam posuit? *Respondeo* cum Soto vbi supra, Tolet. libro primo, capitulo 23. & Henriquez lib. 13. de excom. cap. 52. §. secundo, in fine, posse, nec opus erit adire Summum Pontificem; Ratio est: quia mens, & intentio Summi Pontificis in ca. Quamuis, de offic. Ordin. lib. 6. ea sola fuit, vt quam cito prouideretur Ecclesię, & damnis quę ex huiusmodi cessatione eueniret, si Ecclesia diu sine Diuinis cessaret; Cum igitur inter se partes conueniant, non est quod Romanum Pontificem adeant, sed statim citra iussum Pontificis cessatio tolli potest auctoritate eius, qui eam posuit.

Quid tempore Cessationis circa officia Diuina, & Sacramenta licitum sit; Et de penis iniuste cessantium, & dantium causam iustę cessationis. Cap. XIX.

S Y M M A R I V M.

- 1 Academia Salmanticensis quedam circa officia diuina, & Sacramenta tempore cessationis a Diuinis notatu digna decreuit.
- 2 Cessatione durante, officia diuina in Ciuitate, aut loco ubi ea posita est, celebrare non licet.
- 3 Eucharistię Sacramentum, qualibet hebdomada semel, non obstante cessatione, a sacerdote cum vno solo ministro fieri, & consecrari potest.
- 4 Horas canonicas, an bini, vel terni simul tempore cessationis a Diuinis recitare possint.
- 5 Horas canonicas Episcopi, & Regulares, vt simul cum alijs recitare possint tempore cessationis, priuilegium habent.
- 6 Cessatio a Diuinis, in festis illis, in quibus suspenditur interdictum, Generale etiam suspensum censetur.
- 7 Sacramenta Baptismi, & confirmationis cum solitis solemnitatibus, cessationis generalis tempore conferri possunt.
- 8 Penitentię Sacramentum tam sanis, quam infirmis, cessationis tempore ministrari valet.
- 9 Eucharistię Sacramentum infirmis dari, & portari cum solemnitate cessationis tempore potest.
- 10 Extremitatis unctionis Sacramentum cessationis generalis tempore nulli dari potest.
- 11 Ordo cessationis tempore, nisi graui urgente necessitate, conferri nequit.
- 12 Matrimonium, licet cessationis tempore contrahi possit, benedici tamen nequit.
- 13 Sepultura Ecclesiastica, non solum Sacerdotibus, sed alijs etiam clericis in Cemeterio cessationis tempore dari potest.
- 14 Laici cessationis tempore sepultura Ecclesiastica non sunt donandi.
- 15 Priuilegia, & Bullę concedentes facultatem audiendi Missam tempore interdicti, tempore cessationis etiam generalis non valent.

- 16 Campana ad Concionem, & ad Salutationem Angelicam cessationis tempore pulsari possunt.
- 17 Cessationem iniuste impoentium pœna quoniam sint.
- 18 Actio contra iniuste Cessationem impoentes Ecclesie concessa est, & quo nomine actio hæc appellanda sit.
- 19 Cessationis iuste causam dantes, ad omnia damna, & interesse Clericis, & Canonicis Ecclesie, in qua cessatum est, tenentur.
- 20 Cessationem generalem iustam Religiosi violantes quando excommunicationem incurrant.

1 **C**irca officia Diuina, & Sacramenta tempore Cessationis a Diuinis, Senatus Academiae Salmaticensis anno Domini Millesimo Quingentesimo Quinquagesimo Sexto, nonnulla notatu digna decreuit, vt refert Frater Barth. Medina, lib. 1. Instruct. Confess. c. 11. §. 14. quæ a nobis breuiter examinanda sunt, ad sensum, & sententiã aliorum DD. vt sic quid probabiliter saltem in hac retinendam sit, statuamus.

2 **Primum est**, Quod durante cessatione non licet celebrare officia Diuina in Ciuitate, vbi hæc cessatio est, sed omnes Ecclesie cessant omnino. Id quod certum est, quod quidem cessatio inducit omnino suspensionem diuinorum officiorum, vt superius dictum est, & expressè notant Nauarr. in Manuali, capitulo 27. numero 189. Alphons. Viuald. tract. de Cessatione, numero 6. & numero 14. Couar. in capitulo Alma mater, part. secunda, §. quarto, numero 7. versic. Primum enim, de sent. excom. libro 6. Henriquez libro 13. c. 52. §. primò. Vnde, nec seruata quadruplici moderatione d. cap. Alma mater, de sent. excomm. libro 6. licebit Missam, & horas in tono a multis coram alijs dicere, etiam voce submissa, ianuis clausis, non pulsatis campanis, & excommunicatis, & interdictis exclusis. Quæ doctrina meo iudicio optimè probatur ex c. si Canonici, §. si autem, de offic. Ordin. lib. 6. vbi habetur [Eum] cuius culpa cessatio indicta fuerit, teneri canonicis, & clericis ad id, quod eorum interest, ex eo quod omnino cessantes a celebratione diuinorum officiorum, distributiones quotidianas amiserint, aut sane non acquisuerint,] quæ non nisi interuentibus Diuinis officijs dari debent, & solent, vt habetur in capitulo vnico, de Cleric. nõ resid. lib. 6. & Concil. Trident. Sess. 21. de Reforma capitulo 3. & Sess. 22. de Reforma capitulo 3. & Sess. 24. de Reforma. c. 12. quas tamen tempore interdicti generalis cantantes in choro lucrantur per capitulo Alma mater, §. adijcimus præterea de sentent. excommunic. libro 6. Quod si Canonici, & Clerici tempore cessationis a Diuinis possent officia Diuina celebrare, etiam seruata forma d. §. adijcimus, nulli dubium esset, quin distributiones quotidianas lucrari possent, & consequenter is, cuius culpa cessatio indicta fuit, non teneretur Canonicis, & Clericis, quorum interest, damna satisfacere, prout in d. c. si Canonici, §. si autem, statuitur, vt Couar. vbi supra, numero 7. versic. Tertio, & versic. Quarto, & Henriquez libro 13. cap. 53. §. secundo, docte subtiliterque animaduertent. Ratio esse potest: Quia ante Constitutionem d. capitu. Alma mater, penitus interdicta fuit celebratio diuinorum officiorum tempore Cessationis, argum. cap. Non est vobis, de sponsal. cui iuri veteri nullibi derogatum est, cum cap. Alma mater, de interdicto generali tantum agat, non de cessatione a Diuinis, vnde tempore cessationis celebrari non possunt diuina officia etiam cum illa quadruplici moderatione ca. Alma mater.

3 **Secundum** Vniuersitatis Salmant. decretum est, Quod solus Sacerdos cum vno ministro secrete celebrare potest in Ecclesia, ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum renouandum octauo quoque die. Circa quod decretum aduertendum est, Quod non solum in cessatione generali loci, sed etiam speciali ex consuetudine, (quæ tempore cessationis ad ius antiquius, in c. Non est vobis, de sponsal. reducitur) non licet Sacerdotibus quotidie celebrare, etiam clã

cum vno ministro, sed in quavis Ecclesia, vel Monasterio solum licet qualibet hebdomada fieri vnam Missam renouanda Eucharistia. Hoc autem dictum non tam rure probatur de cessatione a Diuinis quam aequitate, & ex paritate rationis, quam de hoc quod de interdicto sine generali, siue speciali dicitur, ad tempus etiam cessationis tam specialis, quam generalis extendunt, vt reuenter conferuentur species Eucharistiæ sine putrefactione. Adidit tamen Henriquez l. 13. de excom. & interd. cap. 53. §. 2. quod licet sufficiat vnus solus Minister, qui inseruat Sacerdoti celebranti, nihilominus tamen interesse possunt duo, maxime quia Socherus Papa iubet in Missis adesse saltem duos, quibus Sacerdos dicat, Dominus vobiscum. Hoc quoque de consecrat. dist. 1.

4 **Tertium** dictæ Vniuersitatis decretum est, Quod in recitatione Horarum soli recitent, nõ autem duo simul, exceptis ijs, qui sunt Priuilegiati, vt expresse affirmat Viualdus, vbi supra, numero 14. Hoc tamen Alijs iuris regularium videtur; Sicut enim iure antiquo licebat per capitulum, Quod in te, de penit. & remiss. tempore interdicti generalis, ante Constitutionem capituli Alma mater, de sentent. excomm. libro 6. Clericis in Conuentualibus Ecclesijs, binis & binis, vel tribus simul, Horas Canonicas voce submissa recitare, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, ita etiam priuilegium hoc iuris tanquam fauor ex paritate rationis merito per DD. ad cessationem extenditur, vt prout de Clerici duo, vel tres simul possint priuatum sine cãtu, & voce submissa, clausis ianuis horas Canonicas recitare, cum huiusmodi officij Diuini recitatio ad publicum officium pertinere non videatur, vt Henriquez libro 13. cap. 53. §. 2. in fine testatur. Addit autem exceptis ijs, qui sunt Priuilegiati, Quia, & Episcopi, & Regulares scire omnes priuilegium habent, vt sicut tempore interdicti, sic etiam & tempore Cessationis Missam, & Horas Canonicas duo, vel tres simul celebrare possint, vt de Episcopis patet in cap. Quod nonnullis, de priuilegijs antiquis, & in cap. fin. eodem tit. lib. 6. & docent Ioan. Andr. in cap. dilectis, de appellat. Summa Astensis part. 2. libro 7. titulo 16. articulo 3. versic. Nota etiam, Vbi ait Episcopi sine irregularitatis nota, durante cessatione celebrare in ea Ecclesia, vel alibi, & citat ad hoc cap. irrefragabili, §. certum, de offic. Ordin. Tabiena verbo, Interdictum, r. num. 7. §. Septimo, in fine Couar. in ca. Alma mater, part. secunda, §. quarto, numero 7. versic. Hinc patet, de sent. excomm. libro 6. Henriquez libro 13. cap. 51. §. 3. Quod sine priuilegio cum sit iuris communis, ample interpretandum est. De Regularibus etiam idipsum satis manifestum redditur ex cap. vt priuilegia, cap. Quod nonnullis, & c. in his, de priuilegijs, & c. Quod in te, de penit. & remiss. & ex priuilegijs Sixti IV. Clementis IV. & Leonis X. vt habetur in compend. Medicamentum, verbo, interdictum, l. §. 3. r. §. 1. & 23. & Henriquez libro 13. ca. 53. §. 3. in annotationibus in litera Q. Quibus addo ex Couar. in cap. Alma mater, part. secunda, §. quinto, numero 3. versic. Quarto, de sent. excomm. libro 6. & eodem Henriquez vbi supra, §. 3. in fine, Quod in festis illis, in quibus suspeditur interdictum generale, suspenditur etiam Cessatio generalis non tam ex concessione d. cap. Alma mater, (quod nihil concedit pro tempore cessationis) quam ex consuetudine, & sapientum, & Doctorum auctoritate, qui hoc ample interpretantur. Vnde Salmantica anno Domini millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, consultis Doctoribus tum Theologis, tum Iuris peritis, & alijs asserentibus id esse certum, practicum est in festo Corporis Christi, non obstat cessatione; & ita sicut tempore generalis interdicti officia diuina solemniter celebrari possunt, ita etiam, & tempore cessationis, maxime cum celebratio hæc temporaria sit, & ad hos dies festos restricta, vt propoterea his diebus transactis vis ipsius cessationis, vt antea redeat, quicquid Viualdis vbi supra, nu. 6. contradicit.

4 **Quartum** Salmanticense decretum est, Quod conferri possunt Sacramentum Baptismi paruulis, & adultis cum solemnitate, & Carechismo, & Sacramentum Confirmationis: Item consecrari potest Christma, & oleum eucharisticum, ac si nullum esset de cessatione præceptum. Hæc

consentiant communiter DD. & expresse Couar. in capit. Alma mater, par. 2. §. 4. num. 7. versic. vtrunque tamen sit, de sentent. excomm. lib. 6. Henriquez lib. 13. capit. 53. §. 1. & cap. 53. §. 4. vbi docent, eadem Sacramenta cum debita illorum reuerentia, & solemnitate, quae conceduntur tempore Interdicti, absque vlla restrictione licere tempore cessationis. Haec autem omnia tempore interdicti licere superius ca. 7. latius ostendimus. Quod autem de Consecratione Chrismatis dictum est, intelligi debet de Chrismate quod est necessarium pro Sacramento Confirmationis, & ad ritum Baptismi, & idem de oleo baptizandorum. Sicut enim haec licite consecrantur in feria quinta hebdomadae Sanctae in loco etiam specialiter interdicto; ita etiam si permaneat cessatio in hebdomada Sancta, licebit Episcopo haec eadem consecrare, vt de consecratione istorum tempore Interdicti, habetur in cap. Quoniam, de sentent. excomm. lib. 6. & testatur Nauarr. in Manual. capit. 17. numer. 178. & loco citato a nobis fusius expositum est.

3 *Quintum* decretum est, Sacramentum Pœnitentiæ tam sanis, quam infirmis conferri potest. Idem docent Couar. in capit. Alma mater, par. 2. §. 4. num. 7. versic. vtrunque tamen, de sentent. excomm. lib. 6. & Henriquez lib. 13. ca. 53. §. 4. & in annot. in litera Z. Quamuis enim iure antiquo non concedebatur sanis tempore interdicti, iure tamen nouo capit. Alma mater, & ibi gloss. in verbo, *Sanis* de sentent. excomm. lib. 9. conceditur tempore Interdicti; Quae concessio extenditur ad tempus Cessationis secundum praxim vulgo receptam, ex Couar. & Henriquez vbi supra, maxime in ijs, quæ non pertinent ad ordinariam Diuinorum officiorum celebrationem. Ratio esse potest: quia noluit Ecclesia pia Mater filios suos tam salutari & necessario salutis remedio priuare, cum non ita faciliè aditus quilibet contritionem habere soleat, qui tamen cum Sacramento hoc contritus & iustificatus erit; sic enim pie interpretanda est pia Matris sententia.

9 *Sextum* eiusdem Vniuersitatis decretum est, Quod Sacramentum Eucharistiæ solum infirmis dari possit; & portari cum solemnitate ad infirmos, cum pulsû campanulæ dummodò non recitent officium Diuinum. Ratio horum omnium est: quia dum conceditur Pœnitentia infirmis, eisdem etiam conceditur Eucharistia per modum viatici, vt habetur in cap. Quod in te, de pœnit. & remiss. & ibi gloss. in verbo, *Concedimus*, & eadem gloss. in ca. Non est vobis, in verbo, *Pœnitentia morientium*, de sponsal. Et dum ad infirmos deferretur, prædicta solemnitas conceditur, quia talis solemnitas pertinet ad reuerentiam Christi in Eucharistia conuerti, & quia cum aliquid permittitur, intelligitur prout decenter vsus obseruatur; Non sunt tamen recitanda officia diuina, cum hæc ad illum acum non pertineant & alijs prohibentur pro illo tempore; possunt tamen recitari Psalmi, & priuatæ orationes a Sacerdote cum alijs; & in reditu ab infirmis Eucharistiam populo ostendere potest, vt eam adorent, vbi mos fuerit, sicut hæc etiam tempore interdicti fieri possunt, vt in c. 7. diximus, & expresse docet Henriquez lib. 13. c. 53. §. 4.

10 *Septimum* decretum dicte Vniuersitatis est, Quod non potest dari alicui Sacramentum extremæ Vnctionis. Quod intelligitur etiam Clericis Presbiteris, sine expresso priuilegio, vt nec licuit, nec liceat tempore Interdicti. Dixi, *Sine expresso priuilegio*, Nam Religiosi habent priuilegium recipendi, vt significat Tabiena, verbo, *Interdictum*, §. 6. Decimo, in fine. Compend. Mendicantium, in verbo, *Vnctio*. Henriquez lib. 13. cap. 45. §. 4. & cap. 47. §. 4. in annot. in litera Y. & cap. 53. §. 4. in annot. in litera M. & insinuat Nauarr. in Man. cap. 27. num. 179. Addit Henriquez in d. cap. 53. nec ordinem conferri posse tempore cessationis a Diuinis, & est communis, cum nulla necessitas sit conferendi hoc Sacramentum maxime hoc tempore quo a Diuinis cessatur, nisi in casu necessitatis, quando deficerent Sacerdotes, qui Sacramenta necessaria hoc tempore ministrarent.

12 *Octauum* decretum est, Quod Sacramentum Matrimonij tempore Cessationis fieri potest, dummodò interueniat Parochus, aut alius Sacerdos de eius licentia; Benedictio-

nes tamen nuptiales, aut velationes fieri non possunt. Et in hoc consentiunt communiter auctores cum enim sit contractus, valide tunc temporis contrahi potest, sicut & tempore Interdicti, vt in cap. 7. diximus, & fatetur Henriquez lib. 13. c. 53. §. 4.

13 *Nonum* præfata Vniuersitatis Decretum est, Quod sepultura Ecclesiastica dari potest Clericis Sacerdotibus in Cœmeterio, non autem intra Ecclesiam. Haec autem limitatio quoad solos Clericos Sacerdotes, non placet Henriquez lib. 13. cap. 53. §. 4. quia capit. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. generaliter loquitur de Clericis, Clericorum autem nomine etiam tonsurari continentur, vt capit. 8. docuimus & communis DD. sententia confirmat; Vnde, sicut iure antiquo tempore Interdicti, ita etiam, & tempore cessationis, non solum Clerici Presbiteri, sed etiam habentes primam tonsuram sub silentio, & absque officio funerali sepeliri possunt; Dixi, *iure antiquo tempore interdicti*, Quamuis enim nunc iure nouo per cap. Alma mater, de sentent. excomm. lib. 6. concessum sit officium funerale pro Clericis tempore generalis interdicti, seruata quadruphei capituli illius moderatione, non tamen extenditur d. capit. Alma mater, ad tempus cessationis, & ideo seruandum erit quoad hoc ius antiquum contentum in capit. *Quod in te*, de pœnit. & remiss. Dicitur a DD. Salmant. *Quod sepeliri possunt in Cœmeterio, non intra Ecclesiam*, quia de Cœmeterio expressum est iure antiquo, in d. capit. Quod in te, Addunt tamen Angelica, verbo, *Interdictum*, §. num. 32. & Hostiens. & Henriquez lib. 13. de excomm. & interd. capit. 53. §. 4. in annot. in litera D. posse Clericos sepeliri in Ecclesia etiam specialiter interdicta quando non esset alia

14 non interdicta. Quoad laicos verò conueniunt DD. laicos Ecclesiastica sepultura tempore cessationis donati non posse, id quod Henriquez vbi supra §. 4. in annot. in litera C. verum esse docet, etiam si laicus haberet Bullam, aut Priuilegium sepulturae pro tempore Interdicti, & fauet Couar. in capit. Alma mater, par. 2. §. 4. num. 7. versic. Hinc patet, & §. 5. num. 6. versic. 8. de sentent. excomm. libro 6. siquidem priuilegia, quæ homini priuato conceduntur, stricte interpretanda sunt, tanquam odium iuris, seu iuri communi contraria. In festis autem cap. Alma mater, licet sepultura cum officio etiam laicis, ex Henriquez lib. 13. cap. 53. §. 3. in fine.

15 *Decimum*, Vniuersitatis Salmanticensis decretum est, Quod Priuilegia, & Bullæ Apostolicæ concedentes potestatem audiendi Missam si sint tantum quoad interdictum non valent tempore cessationis etiam generalis. Quod si Bullæ loquantur etiam de tempore cessationis a Diuinis, ostendunt: prius debent priuilegium viris Doctis, & literatis, vt sciant quousque priuilegia se extendant, & an reuocata sint per Bullam cruciatæ, aut alio modo, ne alias excedant formam Priuilegij, & vt omnia obseruent ex consilio sapientium prout debent, ne peccent. Quo dsi priuilegium habeant audiendi, vel dicendi Missam in aliqua domo, aut loco particulari, non nisi Missam vnâ in die audire, vel celebrare possunt. Quod dictum intelligitur de habente priuilegium priuatum, tale enim est tanquam odium iuris stricte interpretandum in casu expresso; & in hoc etiam consentiunt Nauarr. in Manual. cap. 27. numero 189. Couar. in cap. Alma mater, par. 2. §. 4. numer. 7. versic. Nec tamen erit, vbi alios refert, de sentent. excomm. lib. 6. & Henriquez lib. 13. cap. 53. §. 3. in annot. in litera P. & §. 6. Alphonsus Viuald. tit. de Cessatione, num. 15. & Iacobus de Graffijs lib. 4. Decis cap. 28. num. 3. Toletus libro 1. cap. 23. quamuis enim priuilegium iuris tanquam fauor, ample interpretandum sit; priuilegium tamen priuatum, tanquam eiusdem iuris odium, stricte interpretandum est, vt præfati auctores testantur. His addi potest ex eodem Henriquez lib. 13. cap. 53. §. 5. in annotat. in litera P. & litera Q. licitum esse pulsare campanas ad concionem, & ad ea, quæ non sunt officia diuina, vt ad salutationem Angelicam, & pro aduentu Regis in Ciuitatem, etiam tempore Cessationis, & facit quod in simili tradit Couar. in cap. Alma mater, par. 2. §. 5. numer. 4. versic. Quinto, de sentent. excomm. lib. 6. post Ioann. Stapuleum de literis Gratia, & Iustitia, fol. 157. colum. 1. Et de his quæ tempore

pore cessationis licita, vel illicita sunt, hæc dicta sufficiant.

- 17 Quoad penas vero iniuste cessationem imponentis communis DD. sententia est, sic iniuste cessantes, eo quod non seruauerunt conditiones superius cap. 18. traditas, & similiter quando causa propter quam cessarunt non est reperta canonica, & sufficiens, siue sit Episcopus qui cessauit, siue Canonici, tenentur restituere omnia damna illata, & interesse seu lucrum cessans læsis, vt Canonici, qui parati erant assistere officijs, & per iniustam cessationem impediuntur, restituere debent distributiones; & similiter alijs Clericis satisfacere tenentur pro stipendijs Missarum, & officiorum, quæ lucrati essent, nisi impediti fuisset. Quod si sic iniuste cessans beneficiarius fuerit, non acquirit sibi pro eo tempore fructus, sed eos restituet Ecclesiæ, in qua cessatum est, ad arbitrium superioris, vt in utilitatem Ecclesiæ illius, & diuini cultus, cui debitum seruitium ablatum est, aut in pauperum necessitatem cōuertantur, immo etiam ultra prædicta tenentur satisfacere Ecclesiæ pro iniuria irrogata ei ad arbitrium superioris, & etiam alteri parti sumptus restituere; Quæ omnia colliguntur ex ca. si Canonici, de offic. Ordin. lib. 6. Et quauis, d. cap. si Canonici, loquatur solum de Capitulo Canonico sic iniuste cessationem imponentium, secundum Geminianum tamen ibi, & Angelicam, in verbo, Cessatio, num. 1. & Syluest. verbo, Cessatio, num. 4. qu. 3. & q. 4. idem erit dicendum de alijs, qui cessationem iniustam imponunt, & in his etiam præter Angelicam, & Syluest. cit. conueniunt Summa Atenfis, par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 8. Tabiena, verbo, Interdictum, num. 7. §. Sexto. Sotus, 4. d. 22. q. 3. art. 2. in fine, vers. Tenentur præterea. Toletus lib. 1. c. 23. vers. Septimo, & Henriquez libro 13. de excom. & interd. capit. 5. §. 3. & est communis DD. opinio, & doctrina. His addo, quod datur Ecclesiæ, cui cōpetit hæc restitutio, actio contra huiusmodi iniuste cessantes; quæ actio, quia non est in iure expressum in quo genere actionis sit, merito dicitur *Conditio ex lege ff. de condic. ex leg. vnica, & tradit glossa, in cap. cum liberum, in verbo, Beneficia, de sepult. in antiq. & glos. in c. si canonici, in verbo, restituent, de offic. Ordin. lib. 6.*
- 19 Quoad dantes causam cessationis iustæ, communis est DD. opinio, Quod qui dederunt causam iustæ cessationis, post monitionem tenentur ad omnia damna, & interesse Clericis, & Canonici illius Ecclesiæ, in qua cessatum est, & ad aliquam satisfactionem æstimandam arbitrio superioris, scilicet Papæ, & in diuini cultus augmentum conueniendam, ex d. c. si Canonici, de offic. Ordin. lib. 6. Summa Atenfis, par. 2. lib. 7. tit. 16. art. 8. Angelica, verbo, Cessatio, num. 2. Syluest. verbo, eod. q. 3. Soto, 4. d. 22. qu. 3. art. 2. vers. Tenentur præterea. Toletus lib. 1. c. 23. vers. Septimo, & Henriquez libr. 13. c. 52. §. 3. in fine, Anton. Cucchius lib. 4. tit. 13.
- 20 Aliq. pena etiam constituitur contra eos, qui iustam cessationem a Diuinis violant, scilicet excommunicatio, cum hac tamen differentia, si enim cessatio sit particularis etiã si sit Ecclesia Matrix, eam violans non incurrit excommunicationem, siue secularis sit, siue Regularis. Ratio est: quia violatio censurarum excommunicationem inducit, cessatio autem particularis a Diuinis non equiparatur Interdicto, ob cuius violationem incurritur excommunicatio: Sin autem cessatio generalis sit, imposita ab Ordinario loci, vel a Sede Apostolica, vel a Concilio Provinciali, aut ab alio quocunque auctoritatem habente, si eam seruet Ecclesia Cathedralis, vel Matrix, seu Parochialis loci, Religiosus etiam exemptus eam violans ipso facto excommunicatio nem incurrit, vt habetur in Clem. 1. de sent. excom. Sylu. verbo, Cessatio, q. 5. Angelica, verbo, Cessatio, in princ. Soto, 4. d. 22. q. 3. artic. 2. vers. de penis autem. Marco Antonio Cucchio libr. 4. Instit. Iuris Canonici tit. 13. & Henriquez lib. 13. de exc. & interd. ca. 54. §. in nullo tamen casu irregularis efficitur, vel latius in c. 17. ex communi DD. sententia comprobauimus.

De Pena Degradationis, seu Depositionis, & Curie seculari traditionis, Quid sint, & a quo pænæ istæ infligantur. Cap. XX.

S Y M M A R I U M.

- 1 Iuris Canonici, & Ciuilis circa delicta punienda quodam discrimen.
- 2 Pænæ Canonice quomodo ad pænâs Ciuiles comparantur.
- 3 Degradatio, suspensio, & depositio, aliquando pro eodem accipi solent.
- 4 Suspensio priuationem legitima executionis ordinis, vel officium, cum spe dispensationis importat.
- 5 Depositio priuationem executionis legitima officiorum, & beneficiorum simpliciter, & ex toto importat.
- 6 Degradatio, & legitima executione officiorum, & beneficiorum, & utroque priuilegio Clericali priuat.
- 7 Degradatio qualiter ab irregularitate distinguitur.
- 8 Degradatio quid proprie sit.
- 9 Degradationis pena soli Ecclesiastici coerceri solent.
- 10 Degradatio est duplex, Verbalis, & Actualis, & quid utraque sit.
- 11 Degradatio verbalis, & actualis qualiter inter se differant.
- 12 Depositus solum verbaliter priuilegio Canonis fruatur.
- 13 Depositus verbaliter tantum gaudet priuilegio fori.
- 14 Depositus tantum verbaliter, Iurisdictioni Ecclesiæ subiacitur.
- 15 Depositus solum verbaliter, quibus in casibus, sine Iudicis præuia declaratione, per Iudicem secularem puniri possit.
- 16 Degradatus actualiter, utroque priuilegio tam fori, quam Canonis priuatur.
- 17 Depositio verbalis certum numerum Episcoporum requirit, non actualis.
- 18 Degradandi potestas ad Episcopum, eiusque superiores olim pertinebat, hodie autem etiam Vicarius generalis Episcopi Clericos deponere potest.
- 19 Episcopus, an electum in Episcopum, qui renunciat Episcopatu, deponere possit.
- 20 Episcopus ordinatum Subdiaconum a Papa deponere nonquit.
- 21 Episcopus, ordinatum ab inferiore de licentia Pape au deponere possit.
- 22 Degradandi potestas an Iurisdictionis, vel ordinis sit.

1 **C**irca has, aliasque pænâs iure Canonico contra delinquentes inflictas, ante omnia diligenter obseruandum est discrimen inter ius ciuile, & ius Canonicum circa delicta punienda: Nam quædam sunt crimina capitalia, ob quæ iure ciuili imponitur pænâ Capitis; Quædam vero non capitalia, quæ pænâ pecuniaria puniuntur, de quibus habetur in l. 2. ff. de publicis iudicijs. Iure vero Canonico ob nullum crimine etiam enorme, pænâ capitis aut sanguinis imponitur, cum non ab homine, de Iudic. & capit. sententiam. Ne Clerici vel Monachi, & tradit Io. Bernard. Diaz in Pract. Crim. Canon c. 133.

2 Pænæ vero Canonice hæc sunt. Excommunicatio, Suspensio, Interdictum, Cessatio a Diuinis, Degradatio, Depositiō, & Curie seculari traditio, quæ pænæ secundum Spe.